Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



Petri II

370

Simon Petrus seruus et apostolus Iesu Christi iustitia uobis et pax adimpleatur in cognitione domini nostri. Quemadmodum nobis
diuina uirtus sua quæ ad uitam et pietatem donata per agnitionem eius qui uocauit nos propria gloria et uirtute per quam maxima et pretiosa nobis promissa donauit ut per hæc efficiamini diuine consortes naturæ fugientes eis
qui in mundo sunt concupiscentia corruptionis. Vos autem omni studio insuper ad-
ministrate in fide uirtutem in uirtute autem scientiam. In scientia autem abstinentiam.
In abstinentia autem patientiam. In patientia autem pietatem. In pietate autem fi-
lialem amorem. In amore filialem caritatem. Hæc enim si uobiscum
adsint et superent non uacuos neque sine fructu uos constituent in domino nostro
Iesu Christo cognitione. Cui enim non prosto sunt hi cecus est et manu
tentans obliuionem accipiens purgationem ueterum delictorum suorum.
Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam uestram uocationem
et electionem faciatis hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim
habundanter ministrabitur uobis introitus in eternum regnum domini nostri et
saluatoris Iesu Christi. Propter quod incipiam uos semper commonere de hiis, etsi
scientes et confirmatos in præsenti uitate. Iustum autem arbitror quamdiu sum
in hoc tabernaculo suscitare uos in commonitione cum quia uelocem est
depositio tabernaculi mei sicut et dominus noster Iesus Christus significauit
mihi. Dabo autem operam et frequenter habere uos post obitum meum ut
horum memoriam faciatis. Non enim indoctas fabulas secuti notam
fecimus uobis domini nostri Iesu Christi uirtutem et presentiam sed speculatores
facti illius magnitudinis. Accipiens enim a deo patre honorem et gloriam
uoce delapsa ad eum huiusmodi a magnifica gloria. Hic est filius meus
dilectus in quo mihi complacui ipsum audite. Et hanc uocem nos audi-
uimus de celo allatam cum essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem
prophetiam sermone cui bene facitis adtendentes quasi lucerne
in caliginoso loco donec dies illuscat et lucifer oriatur in cordibus uestris
hoc primum intellegentes quod omnis prophetia scripture propria interpretatione fit
Non enim uoluntate humana allata est aliquando prophetia sed spiritu sancto
inspirati locuti sunt sancti dei homines. Et factum est. II

Fuerunt autem et pseudoprophetæ in populo sicut et in uobis erunt
magistri mendaces qui introducent sectas perditionis et eum qui emit
eos dominum negant superinducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur
eorum luxurias per quos uia ueritatis blasphemabitur et in auaritia
fictis uerbis de uobis negotiabuntur iudicium iam olim non